



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

IX. Regula petita è scandalo sufficit in foro. Quærunt tamen Theologi & interpretes, an si rescriptis pessumdaretur disciplina ecclesiastica, iis parendum sit. Respondent ab iis exequendis ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15591**

quàm unum ex pusillis scandalizare. Quod ea conditione temperant è Beda, ut vitetur proximorum scandalum, in quantum id fieri potest sine peccato. Porro Episcopi qui ab executione rescripti cessant, ratione scandali emergentis, literis suis Summo Pontifici causam referre debent cur iussa non impleverint; ut colligitur ex Alexandro III. In quo dispar est ratio surreptionis, qua jus tertij læditur, & scandali, quod è novitate præcepti proficiscitur: quia de vitio surreptionis pronuntiare potest iudex delegatus; sed ob metum scandali superferret executioni, & rescribit.

I. X. Regula proposita de rescriptis non exequendis vitetur scandalum, sola sufficeret in disceptationibus quæ apud nos frequentantur in foro. Sed quia Theologis & nostris interpretibus placuit aliam quoque difficultatem attingere, scilicet quid agendum sit, si rescripta ita canones & disciplinam violent ut in apertum Reipublicæ Christianæ detrimentum cedant, referendam duxi eorum sententiam: quæ adeo apud illos certa est, ut in eam ex æquo consentiant utriusque opinionis vindices, tum qui pro Pontifice stant in controversia de Conciliorum auctoritate, tum illi qui Concilium Pontifici præferunt. Afferunt omnes eo casu reverenter agendum cum Romana sede, ita tamen ut executio rescriptorum suspendatur. Non quòd aliquis possit esse iudex Papæ, aut auctoritatem habeat in illum, sed per modum defensionis, inquit Caietanus. *Cuilibet enim est jus ad resistendum injuriæ, & impediendum, defendendumque.* Eadem est sententia Innocentij IV. & Hostiensis, non esse parendum rescriptis Papæ, quibus status Ecclesiæ perturbaretur, aut insigniter decoloraretur. Panormitanus autem eo casu Imperatorem teneri ad subsidium Ecclesiæ. Vnde Victoria & Cordubensis hauserunt, in his difficultatibus posse subditos auxilia Principum implorare, ut eorum auctoritate executio impediatur. Quæ omnia sic interpretanda sunt, ut inde argui non possit defectus auctoritatis in Summo Pontifice, sed defectus intentionis, ut loquuntur nostri. Nec enim existimandum est ab illa sede, quæ paternarum regularum & juris & æqui custodiam ab aliis exigere solet, alienas à commodis Ecclesiæ institutiones consultò proficisci. Etsi enim legibus ceteris non teneretur, à reatæ rationis legibus solvi non potest. Quare ita se gerere solet & debet ut prætermittat *clavem discretionis ante clavem potestatis*, quemadmodum loquitur Innocentius IV. Vnde fluxit vulgatum illud, usurpatum à Panormitano & à ceteris interpretibus, om-

nia in arbitrio Pontificis esse posita, *clavem non errante.* Eo sensu accipiendæ sunt Leonis IV. comminationes anathematis in eos qui mandata Romanorum Pontificum violaverint, quæ scilicet ab iis salubriter fuerint promulgata. Hæc sunt ejus verba relata ab Ivone è Concilio Leonis Papæ IV. Episcoporum LXXII. *Si quis dogmata, mandata, sanctiones, interdicta, vel decreta pro catholica fide, pro ecclesiastica disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium vel futurorum malorum, à sedis apostolicæ Præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.* Eadem est sententia Gregorij VII. *Qui apostolicæ sedis saluberrimo præcepto obedire noluerit, idololatriæ peccatum incurrit, teste Samuele, & beato Gregorio adfructe.* Vnde patet manifestè, quod supra monui, alienum esse à proposito sedis apostolicæ ut in iustis decretis & fortasse perniciosis pareatur; cum in iis tantum quæ salubria sunt, & commoda, obedientiam exigat.

X. Paucis attingi recentiorum opiniones, ut unicuique constaret hoc quoque esse Summorum Pontificum consilium, ut iniquis rescriptis consensus non accommodetur, cum hæc sententia, à tot auctoribus expressa, nunquam ulla sedis apostolicæ censura perfricta fuerit. Sed si quis à me expectet ut quis fuerit in hac questione veterum sensus promam, nihil illultrius afferre possum eximio Facundi Hermianensis loco, qui summam quoque Romanorum Pontificum auctoritatem commendat. Agit de Vigilio Papa, quem impugnatores Trium capitulorum se consuluisse dicebant. *Ille, inquit Facundus, non in destructionem paternæ sententiæ, (id est, Papæ Leonis, & Synodi Chalcedonensis) sed potius in defensionem atque ultionem, primam accepit & maximam potestatem, nec aliquid contra veritatem, sed pro veritate plus ceteris consacerdotibus potest. Paulus enim dicit Apostolus: Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate. Quæ verba licet negotia fidei præcipuè respiciant, at tamen ad disciplinæ justum ordinem, qui pessumdari non debet, rectè quoque trahi possunt.*

XI. Ceterum observandum est, dispensationem ad jus divinum aut naturale non porrigi, ut ex Ivone docuimus, & farentur omnes Theologi, & saniores Iuris Canonici interpretes: quia Pontifici non licet jure suo aliquem ab obligatione juris divini & naturalis eximere, licet jura illa interpretari possit. Quare meritò Almainus glossarum auctores & plerisque Iuris Canonici interpretes arguit, quòd afferant ex causa Pontifici liberum esse ut circa jus illud dispen-

2. Beda in c. 9. Marti. c. 2. Scandalizaverit, de reg. juris. c. 2. de novi operis nunciat.

3. c. Si quando, de rescriptis.

4. c. Super litteris, de rescriptis.

Caietan. in tract. de auct. Papæ c. 27. Paladanus tract. de potest. Papæ. Turrocratica l. 1. de Ecclesiâ c. 106. d. 40. c. Si Papa. & dist. 21. c. In nomine Domini. & 70. cap. Si transierit. Iacobatus l. 8. art. 3. in 6. re. medio, & art. 12.

1. Innoc. & Host. in c. Quamvis, de contum. sylvestri in summa, verbo Papa p. 21.

3. Vassem. in c. Sicut, de jurjur.

4. Victoria de potest. Papæ & Conc. prop. 7. & Cordubensis de potest. Papæ q. 8.

Innoc. in c. Quamvis, de jurjur.

Panor. in c. Ven-

rabulum. dist. 16.

170. c. pro de. c. 10. c. 11. d. 16.

Ivo d. 10.

Facundus Herm. l. 1. pro defension. Trium capitulorum c. 4.

1. Co. 11.